Cordites nigricans maior alpinus, cuius infima pars valvarum rupta, et à reliqua integra earum parte ita ſeparata eſt, ut huius interna pars concava commodè appareat, et animadvertatur illam in principio arenâ albicante quiſquiliis marinis imbutâ repletam fuiſſe, nunc verò arenam ipſam in duriſſimam ſubſtantiam una cum Conchite tranſmutatam. inventus eſt in ſummitate Montis Pileati, ſeu Fracti prope prateolum Capreolorum inter Widerfeld et Caſtelen.

Benè notandum eſt, Lapides figuratos alpinos eſſe duritiei incomparabilis, et gravitatis inconſuetæ, ipſumque marmor ſuperantis, et ſimul plerumque ad nigredinem vel fuſcum colorem vergere.

A. Cavitas arenâ albâ repleta.

Corditæ minores, et minimi diverſicoloris S. Gallenſes.